

exteris diripiatur, et exprobrent ei filii ancille nati secundum carnem¹, ipsa in tantis constituta procellis pacem non capit eciam ab internis. In hiis igitur conversa in se et cor suum examinans legensque de filiis memoriale conscriptum, si ad reclinacionem defessi capitis brachium vestrum querit, inter cetera ipsum eligens, tenera dileccione suave, fidei sinceritate latissimum, felicitatis et glorie magnificencia roboratum, in quo secura dormiat et ab arduo pondere premente fiducialiter requiescat, non putamus dorsum filii diligentis a suavi iugo, a levi onere divertendum quod benigne suscipiendum ille gloriosus vestri generis pater Karolus² asserit, dum a sancta apostolica sede fuerit impositum, quantumlibet vix ferendum.

Super hiis quidem negociis, que nostris sunt involuta sermonibus, dominus papa³ de fratrum suorum deliberato consilio virum providum, inter ubera ecclesie Romane lactatum et operosi obsequii comprobatum effectum, quem vestrum vestrique regni devotum agnoscimus, ad excellenciam vestram destinandum elegit, non sine ratione precogitans addendam postulatis gratiam in nuncio complacente. Nos vero, quamquam ad ea, que per eundem nuncium auribus vestre celsitudinis exponentur, sufficere credamus, que vobis a domino papa scribuntur, aliquid tamen ex parte nostra ad exhortacionem bonam censuimus specialiter adiungendum⁴, qui nos, licet insufficientes, inter ceteros onera ecclesie supportantes ad vos aliquid singularis noscimus habere commercii⁵, persone vestre vestrorumque filiorum incolumitatem⁶ ac regni vestri gloriam successuumque felicitatem collectis mentis nostre viribus affectantes, atque ex hiis occurrente nobis grandiore fiducia, serenitatem regiam exorantes, quatinus prefato nuncio solite benignitatis audienciam exhibentes, sic quod petitur acceptare velitis, ut non videamini pacem vestram sine matris pace diligere aut ipsam inter hostium violentos incursus relinquere, quam ille bonus pastor et salvator altissimus proteccionis vestre succursui presertim diebus istis videtur precipue commendare.

1) Gal. 4, 22 ff.

2) Karl der Grosse ist gemeint, trotzdem ja die Capetinger nicht von ihm abstammten (ähnlich Ep. sel. III, 588, 45).

3) Urban IV.

4) 'adiunēdum' Hs.

5) Vielleicht weil Ottobonus Archidiakon der Reimser Kirche und Kanonikus von Notre Dame in Paris war.

6) 'incolimitatem' Hs.